

213.



Disputatio III.

DE PUBLICANIS, VECTI-
GALIBVS, ET COM-
MISSIS.

Q V A M;

A. C.

P R A E S I D E

C L A R I S S I M O

C O N S V L T I S S I M O Q V E V I R O,

DOMINO HENRICO BOCCRO, V. I. D. ET PRO-

*fessore in Illustri Tubingensium Academia, Praeceptore
suo honorando:*

ORDINARII EXERCITII GRATIA
hora, locoque solitis ad 26. Ianuarij
tuebitur

REINHARDVS A GEMMINGEN.



T V B I N G A,

Apud Georgium Gruppenbachium,

ANNO M. D. XCVIII.

Disputatio III.

DE PUBLI-CANIS, VESTI-
GALIBUS, ET COM-
MUNIBUS

Q. I. M.

M. C.

CLARISSIMO

CONSULTISSIMOQUE VIRO

DOMINO HENRICO BOGRO, A. D. ET YBO

Officiarius in thesaurario, et

theologiae professor


in universitate Lipsiensi

ORDINARI HENRICO GRATIO

honorabilis et reverentissimi

consilii

FRIDERICI A. C. M. I. G. E. N.



Typis in officina

apud Georgium Gropenbachium

in Lipsia

ANNO M. D. C. XLIIII.

Typis in officina

apud Georgium Gropenbachium

in Lipsia

ANNO M. D. C. XLIIII.

Typis in officina

apud Georgium Gropenbachium

in Lipsia

ANNO M. D. C. XLIIII.

Typis in officina

apud Georgium Gropenbachium

in Lipsia

ANNO M. D. C. XLIIII.

Disputatio III.

DE PUBLICANIS, VECTI-
GALIBVS, ET COM-
MISSIS.

T H E S I S I.



VIA publicanus non modò communi iure, (a) sed & speciali quodam prætoris edicto obligatur, si quid vel ipse, aut eius familia, furto vel rapina ademerit, vel damnum iniuria dederit (b) his, à quibus tributum aut vectigal, quod conductum habet, (c) exigit; idcirco hic seorsum (d) edisserere nobis visum est, tum de ipsis publicanis, tum etiam de tributo & vectigali, quod conductum habent, tum denique de furto, rapina, & damno iniuriâ publicanorum. (e)

(a) l. 1. §. dixerit aliquis. ibi, quasi non & alibi Prætor prouiderit furtis, damnis, vi raptis. ff. de publican. iunct. l. quod SC. 6. vers. ceterum. ibi, & iure communi iniuriarum agi poterit. ff. de iniur. (b) d. l. 1. pr. & d. §. dixerit aliquis, & tot. tit. de public. & vectigal. (c) l. quanta. 12. §. vlt. ff. d. tit. & l. eum qui vectigal. 18. ff. de V. S. (d) Quæ enim notabilia sunt, nisi specialiter notentur, quasi neglecta videntur. l. item apud. 15. §. hoc edictum superuacuum. ff. de iniur. & d. l. 1. §. dixerit aliquis. ff. de publican. (e) Hac enim capita continentur sub edicto Prætoris de publicanis, & legibus, quæ ad edicti illius interpretationem pertinent. tot. tit. ff. de publican. & tot. tit. C. vectigal. nou. instit. non pos. & tot. tit. C. de vectigal. & commiss.

II.

Publicani generaliter sunt, qui publico vectigali, vel tributo, quod conductum habent, fruuntur: (a) quorum alij propriè publicani dicuntur, (b) alij verò sunt loco publicanorum: (c) vtriq; tamen hoc prætoris edicto de publicanis comprehenduntur. (d)

(a) d. l. 1. §. 1. ff. de publican. (b) d. l. quanta. 12. §. vlt. ff. d. tit. & d. l. eum qui vectigal. 18. ff. de V. S. (c) l. sed & hi. 13. in pr. ff. de publican. (d) d. l. 1. §. 1. & d. l. sed & hi. 13. in pr. & §. 1. ff. eod. tit.

III.

Propriè publicani dicuntur, qui vectigalia (a) publica, id est, populi Romani, (b) siue principis, (c) conducta à fisco (d) habent.

(a) *Quid propriè vectigalia sint, pòst dicitur.* (b) *d. l. quanta. 12. §. vlt. ff. de publican. & d. l. eum qui. 18. ff. de V. S.* (c) *tit. 56. qua sint regalia. lib. 2. Feud.* (d) *d. l. 1. §. 1. ibi, fisco vectigal. item, ibi, quod à fisco conducunt. ff. de publican. & l. inter publica. 17. §. publica vectigalia, ibi, fiscus capit. ff. de V. S.*

IIII.

Loco publicanorum sunt, qui vectigal à Repub. cuiusdam municipij conductum habent: (a) qui que conductas habent salinas, cotorias, picarias, creti fodinas, metalla, (b) vel redditus harum rerum fisco debitos: (c) qui item tributa publica conducta habent. (d)

(a) *d. l. sed & hi. 13 §. 1. de publican. Idèò autem hi sunt loco publicanorum, quia publici appellatio, vnde publicani, ad municipia & ciuitates non pertinet. d. l. eum qui. 18. ff. de V. S.* (b) *d. l. 13. in pr. & l. Caesar. 15. ff. eod. tit.* (c) *per text. in d. l. inter publica. 17. §. publica vectigalia. vers. item salinarum. ff. de V. S. & in d. tit. 56. qua sint regalia, ibi, argentaria. item ibi, & salinarum, lib. 2. Feud. Cuiac. item lib. 7. obseru. cap. 4. vers. item redditus ex metallis, hos redditus loco vectigalium esse dicit, vnde eorum conductores sunt loco publicanorum. Quae sententia hoc ipso etiam confirmatur, quod redemptores siue conductores fodinarum metallicarum loco publicanorum esse dicuntur, in d. l. sed & hi. 13. in pr. ff. de publican.* (d) *d. l. 1. ibi, vel tributum. ff. d. tit. Cuiac. d. lib. 7. obseruat. cap. 4. vers. verùm ij etiam. iunct. seq. vers. etsi qui.*

V.

Sunt item loco publicanorum, qui conductum habent vectigal prædiorum vectigalium Emphyteuticorum, id est, municipij cuiusdam: (a) vt & qui olim conductum habebant vectigal litium: quod fuit quadragesima summarum, de quibus litigabatur: vel vectigal venalium mancipiorum, quod fuit quinquagesima: aut cæterarum rerum venalium, quod fuit primùm centesima, deinde ducentesima: (b) nam & quadragesima, quinquagesima, centesima, & ducentesima illa non fuit propriè vectigal, sed loco vectigalis. (c)

(a) *De*

(a) De hoc vectigali, quod est canon emphyteuticus praediorum municipa-
lium, est textus in l. 1. & 2. ff. si ager vectigal. Quod autem huius vectigalis condu-
ctores non proprie fuerint publicani, sed loco publicanorum, vel inde conuincitur,
quod praedia illa proprie non sint publica. d. l. eum qui. 18. ff. de V. S. (b) De
his vectigalibus vide Cuiac. lib. 6. obseruation. cap. 28. & Gædd. ad d. l. inter
publica. 17. num. 8. ff. de V. S. (c) Cuiac. lib. 7. obseruat. cap. 4. vers. sunt ta-
men & alia. Quam sententiam & illud confirmat, quod loco tantum publicano-
rum sunt, qui salinas, cretifodinas, cotorias, picarias, & metalla à fisco habent
conducta. d. l. sed & hi. 13. in princ. ff. de publican.

VI.

Publicanis autem, & qui loco publicanorum sunt, quædam à
legibus beneficia indulta sunt, non quidem in ipsorum honorem,
sed in fisci & Reipub. commodum. (a) Cuiusmodi beneficia sunt,
quod corpus, siue collegium, res item communes, arcam commu-
nem, & actorem siue Syndicum habere possunt: (b) quod inuiti te-
stimonium non dicunt: (c) quod à muneribus ciuilibus, ac tutelis
excusantur: (d) quod item societas eorum morte vnus atque alte-
rius ex socijs non dissoluitur, (e) & quod etiam manente societate
actione pro socio inuicem agere possunt. (f)

(a) l. semper. 5. §. conductores. ff. de iur. immun. (b) l. 1. in prin. & §. 1.
ff. quod cuiusque vniuers. nom. (c) l. inuiti. 19. ff. de testib. (d) l. vn. C. de
conduct. vectigal. fisc. lib. 10. l. in honoribus. 8. §. non alios. ff. de vacat. & excus.
mun. d. l. semper. 5. §. conductores. ff. de iur. immun. (e) l. aded. 59. in pr. ff. pro
socio. (f) l. actione. 65. §. pen. vbi Cuiac. ff. d. tit.

VII.

Illud quæritur, an publicani dicantur semper conductores ve-
ctigalium, vt illis ob casum, veluti bellum, remissio fieri debeat; an
verò emptores potiùs, vt illis ob aliquem casum nihil remittatur? Si
in singulos annos certa pro vectigalibus pensio soluatur, prius affir-
mamus: (a) si verò per auersionem ius exigendi vectigal in aliquot
certos annos, vnâ pecuniæ definita summâ sit concessum, posterius
placet. (b)

(a) per l. forma. 4. §. i. ff. de censib. l. ex conducto. 15. §. si vno anno. vers. hoc
idem. ff. locat. & arg. l. cotem. 11. §. vlt. ff. de publican. iunct. l. secundum naturam.
11. de R. l. Bartol. ad d. l. cotem. 11. §. vlt. num. 2. & 3. ff. de publican. Idem
Bartol. in quest. 4. num. 14. Alexand. cons. 107. num. 5. vers. sed præmissis non

obstantibus. & vers. seqq. vol. 3. (b) Bartol. ad d. l. cotem. 11. §. ult. n. 2. 3. & 4. ff. de publican. Idem Bartol. d. quest. 4. num. 14. Alexan. cons. 107. num. 1. 2. 3. 4. & 5. Petr. Costal. ad l. 2. in f. ff. locat. Vide Pantschmannum quest. 18.

VIII.

Sequitur de tributo & vectigali, quod publicani etiam conductum habent. Tributum differt à vectigali. (a) Tributum est reditus, qui ex agris prouincialibus de hoste populi Romani captis & publicatis (b) ab eorum possessoribus, quibus vtendi fruendi dati sunt, confertur, & in publicum colligitur, vt ex eo miles Reipub. sustentetur. (c)

(a) d. l. 1. §. 1. ibi, siue fisco vectigal pendant, vel tributum consequantur. ff. de publican. Cuiac. lib. 7. obseru. cap. 4. (b) Prouinciales tantum agri erant tributarij, non Italici. §. per traditionem. vers. vocantur autem. Instit. de rer. diuision. Hinc mancipi hi erant, illi nec mancipi. Vlpian. tit. Instit. 19. in princ. Cuiac. in parat. C. de vsucap. transform. (b) Agri victo hoste capti, aut vendebantur, aut militibus in premium assignabantur, aut publicabantur. l. in agris. 16. ff. de acquir. rer. dom. & l. si captiuus. 20. §. 1. ff. de captiu. & postlim. reuers. Et qui publicabantur, alijs locari solebant, vt inde tributum Reipub. prestaretur. Vnde pradia tributaria in d. §. per traditionem. vers. itaqz stipendiaria. Instit. de rer. diuis. Et quando vniuersam gentem, aut populum aliquem, Romani sibi subegerant, eius terram in prouinciae formam redigebant; & hinc pradia omnia, quae in his erant prouincijs, tributaria erant populo Romano. d. §. per traditionem. vers. vocantur autem. & ibi Theophil. Inst. de rer. diuis. (c) Theophil. d. loco. Liuius lib. 3. & 4. ab vrb. condit. & de bello Macedon. lib. 4. & 7. vbi tributum appellat id, quod confertur, & in publicum colligitur, vt ex eo militibus stipendia soluantur. Vide quoque Gædd. ad l. ager. 27. ff. de V. S.

IX.

Est autem tributum, (a) vel tributum ita in specie dictum, vel stipendium. (b) Tributum est, quod principi ex eius tributarijs prouincijs soluitur: stipendium, quod populo Romano soluitur ex prouincijs ei assignatis. (c)

(a) Quae ratio est pignoris & hypothecae, quoad hypothecariam actionem, cuius respectu inter pignus & hypothecam nihil interest. §. item Seruiana. vers. inter pignus. Inst. de act. licet proprie aliud sit pignus, aliud hypotheca. d. vers. inter pignus. & vers. seq. l. si rem. 9. §. proprie pignus. ff. de pignorat. act. Eadem etiam ratio

DE PUBLICANIS, VECTIG.

vatio est tributi, & stipendij, quoad publicianam vindicationem, quæ provincialibus competit, non tantum in tributarijs, sed & stipendiarijs prædijs. l. cum sponsus. 12. §. in vectigalibus. ibi, & in alijs prædijs. ff. de public. in rem act. & l. ager. 27. vbi Cuiac. ff. de V. S. Idem Cuiacius, lib. 7. obseruat. cap. 3. & in lib. 19. Pauli ad Edict. pag. 268. (b) Aliud est tributum, aliud stipendium. l. usufructu. 7. §. hæc tamen ta-
men, ibi, vt puta stipendium, vel tributum. ff. de public. in rem act. l. neq. stipendium, neque tributum. 13. ff. de impens. in rem dor. fact. & d. §. per traditionem, vers. itaq. stipendiaria. & vers. vocantur autem. Inst. de rer. diuis. (c) Theophil. ad d. §. per traditionem. Inst. d. tit. Aggen. Urbic. 2. de limit. agror. Prouinciales, ait, prædiorum suorum possessores sunt, sub onere præstandi stipendij populo Romano, vel sub onere præstandi tributi Imperatori; domini autem ipsorum prædiorum non sunt, nec fieri possunt. Cuiac. lib. 7. obseruat. cap. 3. & in lib. 19. Pauli ad Edict. pag. 268. Differentia autem inter tributum & stipendium inde primum nata videtur, quod D. Augustus quasdam prouincias Senatui populoq. Romano reliquit gubernandas, quasdam verò, & quidem validiores, suæ curæ reseruauit; quodq. ille (populus Romanus) leuiores exegit redditus, Imperator verò grauiores, vt ex Suetonio in vita Augusti ostendit Theophil. ad d. §. per traditionem. Inst. de rer. diuis. Constantin. Harmenop. lib. 1. Epitomar. tit. 2. cap. de publicis & fiscalibus iudicijs. Vvesenbec. in paratit. ff. tit. de offic. procons. & legat. & Gæddeus ad l. ager. 27. num. 15. ff. de V. S.

X.

Vectigal quod attinet, dispiciemus primùm, quid sit vectigal: tum, quomodo vectigal instituat: tum etiam de vectigalis locatione conductione: tum denique de solutione vectigalis, & pœna eorum, qui debitum vectigal non soluunt.

XI.

Vectigal propriè est, quod vel in itinere (a) transituue pontis, (b) pro mercibus, quæ importantur & exportantur, (c) & earum vehiculo, (d) proque ipsis transgredientibus, (e) ob saluum conductum, (f) fisco (g) vel Reipublic. alicui (h) exigitur. (i)

(a) l. si quis pro vxore. 21. in prin. ff. de donat. int. vir. & vx. (b) l. cum in plures. 60. §. pen. ff. locat. (c) l. vniuersi. 5. ibi, inferunt, reuehunt, negociationis gratia portantur. l. omnium. 6. ibi, negociationis seu transferendarum mercium. l. à legatis. 8. ibi, huc deportant. & l. seq. ibi, super traductione animalium. C. de vectigal. & commis. (d) l. cum in plures. 60. §. pen. ff. locat. (e) c. innouamus, ibi, nouas pedagiorum exactiones. Ext. de censib. & c. super quibusdam. §. præterea. ibi,

ibi, pedagia, & ibi, gl. Ext. de V. S. (f) l. 3. congruit. 13. in princ. ff. de offic. presi. l. 1. §. quies quoque. ff. de offic. pres. vrbi, & l. ne quid ex naufragijs. 7. ff. de incend. ruin. naufrag. Bald. ad tit. 53. de pac. tenend. int. subdit. & iuram. firmand. §. conuenticula num. 7. lib. 2. Feud. Geil. lib. 2. obseruat. 64. num. 2. & seqq. Mathias Coler. de process. execut. part. 1. cap. 2. num. 296. & seq. Henric. à Rosenthal. in Synops. iur. feud. cap. 5. concl. 35. (g) l. omnium. 6. ibi, quæ inferri fisco moris est. C. de vectigal. & d. l. inter publica. 17. §. publica. ibi, vectigal fiscus capit. ff. de V. S. & tit. 56. quæ sint regal. lib. 2. Feud. (h) l. vectigalia. 10. C. de vectig. & commis. l. 1. & l. 2. C. vectig. non instit. nou. pos. (i) l. 4. ibi, exigendis vectigalibus. l. 5. ibi, exigantur. C. de vectig. & commis.

XII.

Vectigal, quod pro mercibus importandis & exportandis earumque vehiculo, in itinere vel transitu pontis exigitur, portorium appellatur, (a) idque antiquitus erat octaua mercium, (b) quod verò exigitur pro ipsis transeuntibus, pedagium vocatur. (c)

(a) d. l. cum in plures. 60. §. pen. ff. locat. & l. in lege. 203. ff. de V. S. & l. 3. C. de vectigal. & commis. (b) l. ex prestatione. 7. & l. seq. C. de vectigal. & commis. Cuiac. lib. 6. obseru. 28. & Bertachin. in repert. iur. in lit. V. verb. vectigal. (c) d. c. innouamus. ibi. pedagogorum exactiones. Ext. de censib. & d. c. super quibusdam. §. præterea, ibi, pedagia, & ibi, gl. Ext. de V. S. c. quanquam in princ. de censib. in 6. Eguinar, Baro ad tit. 10. quis dicatur dux, vers. nam illi. lib. 2. Feud.

XIII.

Sunt autem & alia, quæ licet propriè non sint vectigalia, loco tamen vectigalium habentur: veluti redditus ex metallis, salinis, picarijs, cretæfodinis, cotorijs: (a) item canon emphyteuticus, qui Reipub. municipij ex emphyteuticis agris soluitur: (b) vectigalium quoque loco est venalitium, quod ob venditionem proponendam exigitur, (c) quod olim erat quinquagesima venalium mancipiorum, centesima verò, & post ducentesima cæterarum rerum venalium. (d) Antiquitus item vectigalium loco erat quadragesima litium, siue summarum, de quibus litigabatur, (e) vt & vigesima reddituum omnium rei frumentariæ in Italia. Quod si etiam fisco aut Reipub. ex prædijs aliquibus quid annuatim præstetur, id loco vectigalium est; quorum prædiorum possessores etiam præteriti temporis, quo alius possedit, soluere vectigal tenentur. (g)

(a) d. l.

(a) d. l. inter publica. 17. §. publica. vbi Cuiac. & Gædd. ff. de V. S. Idem Cuiac. d. lib. 7. obseruat. cap. 4. Huius quoque generis est vectigal, quod Magistratus à subditis ex vendito vino, vel cereuisia exigit, Germanicè Dingelt. (b) l. 1. & 2. ff. si ager. vectig. Cuiac. d. c. 4. (c) De hoc vectigali est l. 4. ibi, venalitiū non petatur, vbi Cuiac. C. de proxim. sacror. scrinior. & l. 1. ibi, nec vectigalibus, in quibuscunque nundinis interfuerint, vllam ob venditionem proponendam dare debent. C. de veteran. lib. 12. & d. l. inter publica. 17. §. publica. ibi, vel venalium rerum, vbi Cuiac. ff. de V. S. Idem Cuiac. lib. 6. obseruat. cap. 28. in pr. Huiusmodi autem vectigal in nundinis à negociatoribus ex ipsorum mercibus exigi prohibetur, in l. vn. vbi Cuiac. in parat. & Sichar. C. de nundinis. (d) Cuiac. d. lib. 7. cap. 4. (e) Cuiac. d. lib. 6. cap. 28. & d. lib. 7. cap. 4. (f) Volateranus lib. 29. comment. pag. 696. inf. (g) l. Imperatores. 7. ff. de public. & vectig.

XIII.

Sed Prætoris edictum de publicanis & vectigalibus, pertinet non tantum ad vectigalia ita propriè appellata, sed ad ea etiam, quæ vectigalium loco habentur.

l. sed & hi. 13. in pr. & §. 1. ff. de publican. & vectig. & l. vectigalia. 10. C. de vectigal. & commiss.

XV.

Instituuntur autem vectigalia, vel authoritate Imperatoris, (a) aut Regis, (b) vel præscriptione temporis immemorialis. (c) Absque his modis, neque noua instituuntur, neque vetera augentur vectigalia. (d) Vnde nec à præside, (e) Principe, Comite, Barone Imperatorem recognoscente, (f) nec decreto ciuitatis, (g) institui aut augeri possunt, (h) sicut nec ab vno loco in alium cum præiudicio & interesse aliorum, qui pendere vectigal tenentur, transferri. (i)

(a) l. vectigalia. 10. in pr. ff. de public. & vectig. l. 3. C. nou. vectig. instit. non poss. c. super quibusdam. §. præterea. Ext. de V. S. (b) d. c. super quibusdam. §. præterea. Ext. d. tit. c. innouamus. Ext. de censib. (c) d. c. super quibusdam. §. præterea. Ext. eod. tit. Myns. cent. 5. obs. 29. (d) l. 4. C. vectig. nou. instit. non. d. l. vectigalia. 10. ff. de publican. (e) l. 1. C. vectig. nou. instit. non. poss. (f) Myns. d. obs. 29. n. 2. (g) l. 2. C. vectig. nou. instit. non. poss. (h) per l. vectigalia. 10. ibi. nec præcedentia reformare. ff. de public. & l. 4. C. vectig. nou. instit. non. poss. (i) Petr. Frid. lib. 2. de mandat. cap. 42. n. 4. & 5. De nundinis idem tradit Sichard. ad l. vn. n. 1. C. de nundin.

Quin etiam præter Imperatoris auctoritatem, hodie Principum quoque Electorum consensus, ad instituenda noua vectigalia requiritur.

Reichsabschied / de Anno 76. §. weiters. & §. derhalben. Friderus lib. 2. de mandat. cap. 43. n. 3. inf.

XVII.

Quòd si quis Princeps, Comes, Baro, aut ciuitas aliqua impetrare cupiat ab Imperatore nouum vectigal, in supplici suo libello mentionem facere debet, locum, pro quo impetratur nouum vectigal, non esse grauatum alijs vectigalibus: alioqui priuilegium præsumeretur per obreptionem impetratum, proindeque inualidum esset.

l. 1. C. nou. vectig. instit. non poss. & ibid. Sichard. ad rubr. n. 8. Myns. d. cent. 5. obs. 31.

XVIII.

Alio modo institutum vectigal licitum non est: (a) proindeque fraudari impunè potest: (b) Et exercentes illicita vectigalia, non solum pœna legis Iuliæ ambitus plectuntur, (c) sed & legis Iuliæ de vi publica pœna in eos conuertitur, (d) & iure Canonico excommunicatione coërcentur. (e) Vnde etiam mandata inhibitoria contra eos in Camera decernuntur. (f)

(a) per l. non dubium est. 5. C. de legib. & l. iubemus. 14. §. 1. inf. C. de S S. Eccles. (b) arg. l. 1. inf. & l. vlt. inf. ff. de condict. sin. caus. Bart. ad l. vectigalia. 10. in prin. ff. de publican. Bald. ad l. veluti. num. 4 ff. de iustit. & iur. & ad l. vlt. num. 3. C. de iur. aur. annul. & ad tit. que sint regal. num. 2. lib. 2. Feudal. Roland. à valle cons. 91. num. 52. vol. 2. Myns. cent. 5. obs. 29. num. 4. Borcholt. ad tit. que sint regal. num. 47. lib. 2. Feud. Rosen. in synop. iur. feud. cap. 5. concl. 44. (c) l. vn. §. item is. ff. de L. Iul. ambit. (d) l. vlt. ff. ad l. Iul. de vi public. Existimat Petr. Frider. lib. 2. de mandat. cap. 42. num. 1. hoseriam læsa Maiestatis pœna teneri. per l. 3. in f. ibi. Quæue priuatus pro potestate magistratue quid sciens dolo malo gesserit. ff. ad l. Iul. Maiest. (e) c. innouandum. Ext. de censib. (f) Petr. Frid. d. cap. 42. num. 1. 4. & 5.

Hinc

XIX.

Hinc quæritur, si quis Princeps, Comes, aut ciuitas in quodam fluminis diuerticulo telonium habeat, quo abire per oppidum aut vicum aliquem mercatores necesse habent, vtrum telonium hoc ad vectigalis & transeuntium commoditatem aliò transferri scitè possit, etiam si oppido aut vico illi translatio ea damnum aliquod adferat, eo quòd ampliùs mercatores per oppidum illud aut vicum non transeunt. Negata sententia nobis probatur.

Per text. in l. Proculus. 26. vbi Dd. ff. de dam. infect. & l. vn. §. sed etsi. ff. ne quid in flum. public. & hanc conclusionem amplectitur Petr. Frider. d. cap. 42. num. 5.

XX.

Pauca iam de locatione conductione vectigalium. Et primò vectigalium locatio conductione non minus, quàm triennij fine concluditur: quo spacio elapso alijs rursus locari possunt.

l. penes. 4. C. de vectigal. & commis. Rationem huius iuris Sichardus ad rubr. C. d. tit. num. 4. hanc esse putat, quod in locationibus propter sterilitatem sit remissio. l. licet. 8. l. exceptio. 18. C. locat. qua sterilitas compensetur cum fertilitate sequentis & tertij.

XXI.

Præterea locatio vectigalium per licitationem fieri debet: zu etnem Auffschlag/ oder Meerschlag/ vt qui in licitatione superior extiterit, ad conductionem vectigalium admittatur. (a) Proindeque publica edicta proponi debent, vel preconis voce denunciandum publicè, vt si quis vectigalia conducere velit, certo die accedat. (b)

(a) *l. locatio. 9. in prin. ff. de publican. & vectigal. l. 4. C. vectigal. nou. inst. non pos. & d. l. 4. C. de vectig. & commis. vbi Sichard. num. 4. (b) l. 3. C. de locat. præd. ciuil. Duar. ad tit. ff. de public. & vectig. cap. 2.*

XXII.

Adhæc qui licitatione vicerit, ita demum ad conductionem admittitur, si fideiussores idoneos & cautionem offerre paratus sit.

d. l. locatio. 9. in pr. ff. de public. & vectig.

XXIII.

Sed quæritur, si qui licitatione superior extitit, haud idoneè per fideiussores cauere possit, an prior licitator iure cogatur, vt conducat vectigal tanti, quanti priùs licitatus fuit? Et licet Bart. ita velit, (a) verior tamen est contraria sententia, (b) quam consulendo Bald. ita tenet, & alij sequuntur. (c)

(a) *ad d. l. locatio. 9. in pr. ff. d. tit. per l. Sabinus. ff. de in diem addict.* (b) *per l. si praeses. 10. ff. de prator. stipul. l. stipulatus es opus. 44. ff. de fideiuss. l. cum in plures. 60. §. lege dicta. ff. locat. Ex quibus colligitur, quod per actum secundum ante rem perfectam, recedi videtur ab actu primo, vt proinde dicendum sit, primum licitatore per secundum esse liberatum.* (c) Bald. refert & sequitur Cremonensis singulari 41. vbi addit, quod Baldus pro isthoc suo consilio lucratus sit centum ducatos aureos. Subscribit eidem sententiæ Sichard. *ad d. tit. C. de vectigal. & commiss. num. 4.*

XXIII.

Conducere autem vectigal prohibentur reliquatores vectigalium, antequam superiori conductioni satisfaciant: (a) proindeque nec debitores fisci, aut Reipublic. admittendi sunt: nisi forte tales fideiussores obtulerint, qui debitis eorum satisfacere parati sint. (b)

(a) *d. l. locatio. 9. §. reliquatores. ff. de publican. & vectig.* (b) *d. l. 9. §. debitores. ff. d. tit.*

XXV.

Non solùm autem vnus, sed & plures, societatis habendæ causa, vectigal conducere possunt: quorum vnus, si in sua separatim administranda parte minus idoneus reperiatur, alter in se portionem eius transferri iure desiderat.

l. locatio. 9. §. Socij vectigalium. ff. de public.

XXVI.

Non solutis vectigalium pensionibus, pellere conductores, necdum etiam tempore conductionis completo, vel ab his vsuras ex mora exigere permittitur.

l. vectigalia. 10. §. 1. ff. d. tit.

XXVII.

Proximam inspectionem solutio vectigalium desiderat, vt & pœna

pœna eorum, qui res suas ad publicanos non profitentur, ubi primò videndum, quarum rerum vectigal, quod portorium dicimus, sit solvendum: tum quæ personæ pendere vectigal pedagium teneantur, quæ item immunes sint à vectigalium præstatione: tum denique de ipsa pœna non profitentium apud publicanos res suas.

XXVIII.

Exigi autem portorium potest earum rerum omnium, quæ negotiationis causa importantur, vel exportantur; (a) etiam si militum sint, (b) aut personarum Ecclesiasticarum, (c) aut legatorum gentium devotarum, (d) & quamvis de fundis fiscalibus mercatores quid emerint, attamen immunitatem solvendi publici vectigalis usurpare non possunt. (e)

(a) l. vniuersi. 5. & l. seq. ibi. omnium rerum. item ibi. qui negotiationis. C. de vectigal. & commis. (b) l. 3. & l. ex præstatione. 7. C. d. tit. (c) c. quanquam. ibi. quas non causa negociandi deferunt. tit. de censibus. in 6. & clem. presenti. ibi. quas non negociandi causa. tit. eod. (d) l. à legatis. ibi. ad propria deferunt. C. de vectigal. (e) d. l. locatio. 9. §. vlt. ff. de public. & vectigal.

XXIX.

Quia verò vectigal, id est, portorium venalium rerum, est pars earum certa, & quidem octava iure Iustiniano, (a) haud immeritò hic quæritur, si vinum aut cereuisia inferatur, an mercatores vasa aperire, & ex illis partem vini aut cereuisiæ loco vectigalis soluere teneantur, nec ne? Henning. Gœden, (b) & eum secutus Ioan. Schneidervin, (c) id rectè negant.

(a) l. ex præstatione. ibi. octauas. & l. seq. ibi. octauarij. C. de vectigal. & l. 4. C. vectig. nou. inst. non poss. Hodie tamen vectigal certa ubiq; & canonica pars rerum non est, sed alio loco aliud exigitur, vnde cuiusq; loci consuetudo inspicienda. l. 4. in f. ibi. in omnibus vectigalibus ferè consuetudo spectari solet. ff. de publican. S. chard. ad tit. C. de vectigal. num. 8. Non tamen barbaricum debet esse vectigal, & excedere iustam quantitatem. Barbaricum autem vectigal dicit esse Baldus, quando soluitur vltra tertiam partis octauæ, quæ octaua olim exigebatur. Bald. ad rubr. ff. de rer. diuis. num. 3. quem sequitur Felin. ad c. 1. n. 41. vers. alius est casus. Ext. de constit. & Roland. à Valle cons. 91. num. 44. vol. 2. & Petr. Frider. lib. 2. de mandat. cap. 43. n. 4. in f. (b) consil. 7. & 8. (c) ad §. capite tertio. n. 3. Inst. de L. Aquil. Pars illa vectigalis non ex specie siue corpore, sed eius precio soluenda.

XXX.

Quas autem res ad usum proprium siue priuatum, vel ad fiscum quis infert, aut iuris exercendi gratia reuehit, nullum pro his vectigal exigitur.

l. in lege censoria. 103. ff. de V. S. l. vniuersi. 5. C. de vectig. & commiss. l. vlt. §. Diuus quoque. ff. de publican. De rebus fiscalibus est quoque text. in d. l. locatio. 9. §. vlt. ff. d. tit.

XXXI.

Hinc Scholarium libri, aliæque res, quas studij causa inferunt, vectigalium oneri non subiacent: (a) neque res personarum Ecclesiasticarum ad proprium earum usum pertinentes: (b) neque res exercitui paratæ. (c)

(a) *per text. in d. l. 5. ibi. quas ad usum proprium. C. de vectigal. & ibi Sichard. num. 10. Idem Sichard. ad auth. habita. num. 7. C. ne fil. pro patr. Bart. ad l. vlt. §. Diuus. num. 2. ff. de publican. Petr. Frider. lib. 2. de mandat. iudic. cap. 42. num. 6. (b) d. c. quanquam. ibi. pro rebus suis proprijs. tit. de censib. in 6. & d. clem. presenti. ibi. pro earum rebus proprijs. tit. eod. (c) d. l. locatio. 9. §. res exercitui. ff. de publican.*

XXXII.

Vtrum autem proprii siue priuati vsus, vel negociationis gratia quid transportetur, secundum Bald. & Sichard. ex indicijs & coniecturis colligendum erit, quæ sumuntur à qualitate rei, à quantitate, à persona, quæ vehit, tum etiam à tempore & id genus alijs. Quòd si ex indicijs & coniecturis id non pateat, tum inspiciendum, qualis quisque sit vir, bonæ vel malæ famæ, vt ad iusiurandum ipsius deueniri possit, aut non.

Bald. ad d. l. vniuersi. 5. C. de vectigal. Sichard. ibid. num. 10. versic. vnde tu queras.

XXXIII.

Rectè autem faciunt scholares, si quando vasa & cistas cum libris alijsque rebus suis aliò transferri curant, literas accipiant testimoniales sigillatas, per quas fidem faciant publicanis, se esse studiosos, proindeque libros & res suas alias, quas transmittunt, à vectigalibus esse immunes.

Bart. ad l. vlt. §. Diuus quoque. n. 2. ff. de public. Bertach. in promptuar. iur. in verb. Gabella iudiciorum. num. 34. pag. 602. col. 2. Sichard. ad tit. C. de vectigal. & commiss. n. 7.

Et si

XXXIII.

Etsi verò iure Iustiniano liberae sint à vectigalibus res ad proprium & priuatum vsu, quae transportantur, hodie tamen ex consuetudinibus pro rebus laicorum quibuscunque vectigal exiguntur.

Duar. ad tit. ff. de publican. & vectig. cap. 2.

XXXV.

Non mirum, cum antiquitus pro umbra quoque, & aëre, (a) rùm etiam pro lotio (b) vectigal exactum alicubi fuerit per eos, quibus lucri bonus fuit odor ex re qualibet. (c)

(a) *Cuiac. lib. 10. obseru. cap. 7.* (b) *Vespasianus ex lotio vectigal fecit, super quo factò cum à filio admoneretur, quod è re tam putida lucrum faceret, paulò pòst collectam pecuniam filij naribus admouit, rogauitq; , ecquid illa puteret. Eras. Roter. in adag. Lucri bonus est odor.* (c) *vt est apud Iuuenalem.*

XXXVI.

Principes tamen Electores, ceteriq; Principes, & alij omnes, qui ad Imperij deputati sunt consilium, zum Reichsraht gehörig / & horum ministri, immunes sunt à vectigali com meatu sui: (a) Neque consuetudo locorum, qua de omnibus rebus vectigal exigitur, recepta est in libris alijsque rebus scholarium. (b)

(a) *Reichsabschied zu Augspurg / de Anno 1500. von Ordnung des Regiments / pag. 41. Facit item Reichsabschied zu Wormbs / de Anno 1521. von Ordnung des Regiments / pag. 161. fac. 1. S. item sollen auch.* (b) *vt omnes Dd. testantur, quos sequitur etiam Pac. ad auth. habita. C. ne fil. pro patr. cap. 5. num. 4.*

XXXVII.

Earum tamen rerum vectigal, quarum nunquam praestitum est, exigi non potest.

d. l. locatio. 9. S. earum. ff. de publican. & vectig.

XXXVIII.

Est & illud hinc notandum, quod licet res quaedam à vectigalium onere immunes sint, necesse tamen esse eas profiteri ad publicanos.

Per l. vlt. §. quoties. vbi gl. & Bart. ad d. S. Diuus quoque. ff. de public. Duar. ad tit. ff. de publican. & vectig. cap. 3. Rosenth. in Synop. iur. feud. cap. 5. concl. 38. in fin.

Quod

Quòd attinet personas, quæ pedagium pendere, vel non præstare tenentur, generaliter hic obseruandum, omnes omninò priuatos huic oneri esse obnoxios, (a) nisi ex priuilegio, (b) vel præscriptione (c) immunitatem vsurpare possint.

(a) per l. omnium. 6. ibi. ac personarum, quæ priuatam degunt vitam. item ibi. nonnulli priuatorum. C. de vectigal. (b) d. l. 6. vers. hoc ideo. C. d. tit. (c) Myns. cent. 5. obs. 29. n. 11. Rosenth. d. cap. 5. concl. 46.

XL.

Personæ ergò Ecclesiasticæ non præstant pedagium: (a) Idem de scholaribus sentiendum: (b) tum etiam de Illustrissimis, illustribus, generosis, & nobilibus: (c) vt & ambassadoribus & legatis principum: (d) atque etiam de consiliarijs alijsque personis, ad Imperij consilium deputatis, & horum familia. (e)

(a) c. quanquam. de censib. in 6. & clem. præsent. eod. tit. (b) per auth. habita. vbi post alios etiam Sichard. n. 7. & Pac. cap. 5. n. 4. C. Ne fil. pro patr. Rebuff. de priuileg. scholar. p. 146. n. 1. Horat. Luc. de priuileg. schol. priuileg. 54. Rosen. d. cap. 5. concl. 48. Petr. Frider. lib. 2. de mandat. cap. 42. n. 6. (c) per d. l. omnium. 6. C. de vectigal. vbi personæ tantum priuatae vectigalium oneri subiiciuntur. Petr. Frider. quoque lib. 2. de mandat. cap. 42. n. 6. de his personis idem scribit, atque ita in Imperio obseruari ait. (d) per d. l. omnium. 6. ibi personarum, quæ priuatam degunt vitam. item ibi. nonnulli priuatorum. C. de vectigal. Bart. ad l. 1. in pr. ff. ad l. lul. Maies. Petr. Frider. d. cap. 42. n. 6. (e) Reichsabschied / de anno 1500. von ordnung des Regiments. pag. 41. fac. 2. rubr. Alle so in des Reichs Regiment gehörig sollen aller Tax / Zöll / vnd Ungeltes frey sein. Item: Reichsabschied / de anno 1521. von ordnung des Regiments / pag. 116. S. Item: sollen auch Churfürsten. Et quamuis vterque ille Imperij recessus loquatur, tantum in specie de personis ad consilium Imperij deputatis, zum Reichsrath / attamen de aliorum quoque principum Parlamentorum assessoribus & consiliarijs, &c. idem tradit Petr. Frider. d. cap. 42. n. 6. Vbi in hanc sententiam adducit etiam auctoritatem Papon. lib. 5. de arrest. tit. 11. n. 13.

XLI.

Alicubi tamen ob quotidianam ferè in conseruandis pontibus, vel aggeribus contra vim & imperum fluminis difficultatem, (a) nemo immunis est à præstandis vectigalibus, veluti Argentinæ, vbi

ubi pontem Rhenanum sine vectigali, paucis exceptis, nemo transit. (b)

(a) Vide Coler. de process. executiuis. part. 1. cap. 3. num. 27. (b) Huius Argentinensis vectigalis meminit quoque Petr. Friderus. lib. 2. de mand. cap. 42. num. 6.

XLII.

Quòd autem de præscriptione immunitatis à vectigalibus antea dictum est, de præscriptione temporis, quod hominis memoriam excedit, exaudiri debet.

Cùm enim tanti temporis præscriptione vectigal iure Canonico institui possit. d. c. super quibusdam. §. præterea. Ext. de V. S. consequens est, ut tanti quoque temporis spacio amittatur, per l. nihil tam naturale. 35. & l. omnia que iure. 100. ff. de R. I. Mynsing. d. cent. 5. obser. 29. num. 11. vide Rosenthal. d. cap. 5. concl. 46.

XLIII.

Quæritur, an hi, qui ab illis, qui à vectigalium præstatione immunes sunt, quid emerunt, priuilegio etiam eorum utantur? Et veriùs est, cessare priuilegium, atque adeò vectigal his soluendum esse.

d. l. locatio. 9. §. vlt. ff. de publican. Petr. Frider. d. cap. 42. n. 7. Et pertinet huc questio, an vectigalia sint personalia munera, vel realia. Bart. ad l. 1. in pr. num. 5. ff. d. tit. & Bald. ad l. placet. in f. C. de S S. Eccles. affirmant prius. Sed eidem Bart. ad l. vn. n. 38. C. de mulier. in quo loco. lib. 10. & Petr. Frider. d. lib. 2. cap. 43. n. 12. posterius placet.

XLIIII.

Succedit pœna non profitentium ad publicanos res suas: quæ est commissum, (a) id est, rerum amissio & publicatio. (b) Et profiteri quis tenetur res omnes, etiam à vectigalibus immunes. (c)

(a) Commissum est nomen substantiuum, dicimus enim questio commissi, item commissum facere, & in commissi causam cadere, tum etiam pœna commissi, & ratio commissi. l. 1. 2. & 3. C. de vectigal. & commissi. l. Imperatores. 7. in f. ibi. pœnam commissi. & l. seq. ff. de publican. Et est commissum ipsa pœna eorum, qui res suas non profitentur ad publicanos, vti loca modò adducta, & maximè l. commissi. 14. d. tit. arguunt, & docet Cuiac. in parat. ff. d. tit. & in parat. C. de vectig. &

elig. & commiss. (c) l. vlt. §. quoties. & §. Diuus. D. de publican. Cuiac. lib. 14. obseruat. cap. 3. Horat. Luc. priuil. 54. versic. Limita.

XLV.

Cadunt autem in commissum res non professæ ipso iure. (a) Atamen possessio earum vt amittatur, declaratoria iudicis sententia est necessaria. (b)

(a) *l. commissa. 14. ff. de publican. & l. 2. C. de vectig. & commiss. (b) per l. defensionis facultas. 7. vbi Cuiac. C. de iur. fisc. lib. 10. Andr. Geil. lib. 2. obseru. 51. n. 5. & de pac. publ. lib. 2. cap. 3. n. 11. Borch. ad tit. 56. quæ sint regal. n. 48. lib. 2. Feud. Coler. de process. Execut. part. 1. cap. 31. num. 84. Rosenth. d. cap. 5. concl. 40. in f.*

XLVI.

Sed qui partem tantum non fuit professus, non res omnes amittit, sed eam partem tantum. (a) Vnde consequens est, si socius rem communem portans non soluerit vectigal, alterius socij partem non incidere in commissum: (b) neque in pœnam commissi incidere res, si aurigæ saltem, famulorum, aut naucleri culpa professio facta non sit: (c) neque si culpa sua fur rem mihi surreptam non fuerit professus. (d)

(a) Nam fideicommissarius rerum hereditariarum partem surripiciens, ijs solis, quas subtraxit, mulctatur. *l. Paulus. 58. ff. ad Trebell. & Vasallus, qui partem duntaxat feudi alienauit inconsulto domino, non totum feudum, sed partem tantum amittit. tit. 38. lib. 2. F. Sic proportionis ratio habetur in l. cum debitore. 17. & l. seq. ff. rem rat. hab. l. rescriptum. 6. & l. heres. 11. ff. de his. quæ vt indig. Denique hanc sententiam communiter tenent. Dd. quos citat Rosenthal. d. cap. 5. conclus. 41. ad lit. A. Eidem subscribit etiam Petr. Frider. d. cap. 43. num. 7. & 11. (b) *l. fraudati. 8. in f. ff. de publican. & fac. l. cotem. 11. §. dominus. & l. vlt. §. magnus. ff. d. tit. Rosenthal. d. cap. 5. concl. 41. Dissentit Petr. Frider. d. cap. 43. num. 8. (c) per text. in d. l. cotem. §. dominus. & l. vlt. §. magnus. ff. de publican. & pertinent huc quæ tradit Bertachin. tractat. Gabellarum. part. 9. num. 9. Dissentit apertè Petr. Friderus. d. cap. 43. num. 8. (d) arg. d. l. fraudati. 8. §. 1. d. l. cotem. 11. §. dominus. & d. l. vlt. §. magnus. ff. de publican. Confert item huc, quod etiam emptori meæ rei euincere eam possum. *l. si mancipium. 23. C. de R. V. & tradit ita Petr. Frid. d. cap. 43. n. 9.***

Quòd

XLVII.

Quòd si pupillus vel minor non fuerit apud publicanum res suas professus, locus quidem est pœnæ commissi, verùm si intra diem trigessimum vectigal inferant, remittitur illis hæc pœna: (a) quin & postea, si non dolus ipsorum interueniat, restitutionis in integrum beneficio gaudent. (b)

(a) *l. Imperatores. 7. §. vlt. ff. de publican. Quem locum Bart. generaliter de quolibet intelligit: at eum reprehendit Petr. Frider. d. cap. 43. n. 6.* (b) *l. si ex causa. 9. §. pen. ff. de minor.*

XLVIII.

Militibus etiam in hoc prospectum est, ne ob omittas professiones pœna commissi teneantur.

l. 3. C. de vectigal. & commiss.

XLIX.

Similiter casus fortuitus non profitentem excusat: puta vis tempestatis.

l. vlt. §. si propter. ff. de public.

L.

Sed quæritur, an itidem ignorantia excuset? Id iudicis arbitrio relinquendum est.

Mench. lib. 2. de arbit. iudic. casu 397. Rosenthal. d. cap. 5. conclus. 49. Petr. Frider. d. cap. 43. n. 5.

LI.

Excusationem autem non præbet vlli, quod à stationarijs vel publicano admonitus non sit. Professio enim requirit, vt ad telonium accedatur, & indicetur, quid quantumque vehatur.

l. vlt. §. Diui quoque. ff. de publican. l. 3. ibi, ob omittas professiones. C. de vectig. Petr. Frider. d. cap. 43. num. 10.

LII.

Persequi autem rem, in commissum quæ incidit, potest dominus vectigalis, instituta vindicatione, quicumque possederit eam.

Per d. l. commissi. 14. ff. de publican. Sichard. ad tit. C. de vectigal. num. 11. Ceterùm Bald. cons. 328. incip. ad vsitatum. num. 2. vol. 2. asserit, quod pro actione ipsis vectoribus etiam captura & carcer inferri possit, quodq; detentio verum ipsis stationarijs, & publicanis sit permessa. De hac Baldi sententia vide

K 2

quoq;

quoque Coler. de process. execut. p. 3. cap. 2. num. 35. & seq. & part. 1. cap. 3. n. 74. & seq.

LIII.

Quæ actio etiam ipsi redemptori vectigalis competit.

per l. si quis. 11. C. de vectigal. Sichard. ad eund. tit. n. vlt.

LIIII.

Sed nunquid præter rem commissam, insuper etiam ipsum vectigal peti potest? Negamus.

arg. S. sed & legis Aquilia. Inst. de action. Coler. de process. execut. p. 1. cap. 3. n. 79. Dissentit Math. de Afflict. ad tit. 56. qua sint regal. in verb. vectigalia. num. 52. lib. 2. Feud.

LV.

At perit hæc actio tum lapsu quinquennij, tum etiam si res, quæ in commissi causam cecidit, non amplius existat, non tamen dolo supprimatur.

l. 2. C. de vectigal. vbi Sichard. n. 11. in f. & Couar. de Matrim. 2. part. cap. 6. §. 8. num. 22.

LVI.

Cæterum morte eius, qui fraudem contraxit, non tollitur, sed ad eius etiam heredes transmittitur.

l. fraudati. 8. in pr. ff. de publican. vid. Cuiacium. in lib. 73. Responser. Papin. pag. 550.

LVII.

Sed quæ pœna in peditem, aut equitem constituta, si is pedagium fraudet? Dupli aut tripli pœnam, pro qualitate fraudis, ei imponendam esse putamus.

Ita vult etiam Petr. Frider. d. cap. 43. n. 11. in f. & facit quoad duplum pro hac sententia S. sed & legis Aquil. Inst. de action.

LVIII.

Cum verò tanta sit constituta pœna in eos, qui vectigal fraudant, non iniuria vicissim, & illud cautum est, ut mercatores & viatores, qui soluunt vectigal, sub tutela sint, & protectione domini, ad quem pertinet vectigal; adeoque si quid damni ipsis in via publica contingat, dominus ad eius æstimationem teneatur.

Andr.

Andr. Geil. lib. 2. obseru. 64. & Coler. de process. execut. part. 1. cap. 2. n. 296. & seq. ubi ostendit, quosdam id restringere ad eum duntaxat casum, quando colligens vectigal sciuit robariam, & potuit providere vel prohibere, sed non prouidit, neque prohibuit.

LIX.

Reliquum est, ut de furto, rapina, & damno iniuriâ publicanorum dispiciamus. Etsi verò ex his delictis conueniri possunt publicani communi actione furti, vi bonorum raptorum, & damni iniuriæ, (a) attamen quia nemo nescit, quantæ audaciæ, quantæ temeritatis sint publicanorum factiones, (b) quantaque ipsi auaritia ardeant, (c) idcirco ad compescenda hæc ipsorum vitia (d) in eos edicto Prætoris comparata etiam est specialis actio in factum, (e) quæ intra annum est in duplum, cui rei persecutio inest, (f) post annum in simplum: (g) Et datur heredibus, (h) tum etiam in heredes, quatenus locupletiores ex delicto sunt facti. (i)

(a) l. 1. § 2. 3 & 4 ff. de publican. (b) l. quanta. 12. in pr. ff. d. tit. (c) l. vniuersi. 5. in f. C. de vectigal. & l. 4. C. vectigal. non inst. non poss. (d) d. l. quanta. 12. in pr. ff. de publican. (e) l. 1. in pr. § 2. 3. & 4. ff. d. tit. (f) l. hoc edicto. 5. & 7. & l. 1. locat. 9. §. quod illicitè. ff. d. tit. Sed vide gl. ad rub. ff. naut. caup. stabul. (g) d. l. 1. in prin. ff. de publican. (h) l. sed & hi. 13. §. vlt. ff. d. tit. (i) l. 4. in pr. ff. eod. tit.

LX.

Atque hæc actio contra publicanos stringi potest, licet absque vi, quid illicitè à negociatoribus, & prætereuntibus exegerint.

l. si multi. 6. & d. l. locatio. 9. §. quod illicitè ff. h. tit.

LXI.

Si tamen publicanus etiam post acceptum iudicium restituere simplum paratus sit, absoluendus erit. (a) Vnde hæc actio quibusdam (b) arbitraria videtur: id quod tamen non probamus. (c)

(a) d. l. 5. in pr. d. l. 1. §. & restituendi ff. d. tit. (b) Coras. ad l. 5. in pr. n. 13. ff. de in lit. iur. Loriot. tract. de act. axiom. 69. Menoch. lib. 1. de arbit. iudic. cas. 5. num. 9. (c) per §. præterea. ubi vide Donel. num. 8. Inst. de action. Duar. ad tit. de publican. cap. 1.

LXII.

Si multi publicani sunt, qui deliquerunt, non multiplicatur dupli actio,

pli actio, sed omnes partes præstabunt; Et quod ab alio præstari non potest, ab altero exigitur.

l. si multi. 6. ff. de publican.

LXIII.

Non solùm autem suo nomine hac tenetur actione publicanus, sed & nomine suæ familiæ, siue liberi homines, siue serui proprii vel alieni fuerint, modò tamen ipsi vectigali, aut tributo ministrent.

l. 1. in prin. & §. familie nomen, & d. l. quante. 12. §. familie. ff. de publican.

LXIV.

Et si plures de familia deliquerunt, tantum dominus præstabit, quantum si vnus delictum admiserit.

l. 3. §. vlt. d. l. si multi. 6. ff. d. rit. vbi Duar. cap. 1. in f.

LXV.

Exhibitione tamen liberi hominis publicanus liberatur, & ipsemet liber homo tenetur: (a) Seruo autem proprio exhibito, noxali iudicio conuenitur. (b) Quòd si non exhibeatur seruus proprius vel alienus, sine noxæ deditioe iudicium pati cogitur, siue possit exhibere, siue non. (c)

(a) *l. 1. §. vlt. vbi Bart. ff. h. rit.* (b) *l. 3. in pr. ff. eod.* (c) *d. l. 1. §. vlt. ff. d. rit. ob stare videtur l. sed & hi. 13. §. quid tamen. ff. eod. vide Pac. antin. cent. 6. antin. 78.*

LXVI.

Non solùm hac publicanus tenetur actione, sed & si quid illicitè per vim extorserit, amplius extra ordinem plectitur.

d. l. locatio. 9. §. quod illicitè. ff. de publican.

LXVII.

Quòd si etiam pro rebus, quæ à vectigali immunes sunt, stationary milites cæteræque personæ vectigal ex auaritia extorserint, capitalis pœna ipsis est proposita.

l. vniuersi. 5. C. de vectig. & commis.

LXVIII.

Et vectigalium redemptores, si vltra antiquam consuetudinem, & præfinitos vectigalium terminos aliquid profligarint, perpetuo exilio puniuntur.

l. 4. C. vectig. nou. instit. non poss.

NE HOC SPACIUM

VACVVM RELINQVRETVR,

placuit sequentia subijcere

Corollaria.

I.

Modus supplicandi contra noua, illicita & insolita vectigalia, in quinque potissimum partes diffunditur: 1. Quod ista res omni iure prohibita sit, nullaque ratione queat iustificari: 2. Quod sit contra publicam vtilitatem, dum omnium mercium & annonæ caritatem inuehit: 3. Quod consequenter scandali & armorum metus inde oriri possit: 4. Quod fiat contra reseruata: 5. In contemptum Cæsareæ Maiestatis.

Frid. lib. 2. de mandat. cap. 42. n. 9. ex recessu Imperij de Anno 76.

2.

Quæritur an aucto vectigali per principem venditorem, qui fortè constituit, vt vnus denarij loco, qui prius pro libra soluebatur, nunc duo soluantur, augmenti redditus ad emptorem vel venditorem pertineat? Et ad emptorem in vectigali simpliciter vendito spectare, defendemus.

Tum quia commodum rei vendita ad emptorem perfecta venditione pertinet. l. fructus. 13. & l. pen. C. de actionib. empt. & vendit. Tum quia eius est accessio, cuius est principale. c. accessorium. de Reg. iur. in 6. l. id quod. 7. ff. de peric. & comm. rei vendit. Tū etiam quia eadem est ratio partis, qua totius. l. Quæ de tota. 76. ff. de rei vindicat. Precium tamen accessionis venditori præstandum. per l. si duarum. 42. in fin. ff. de peric. & comm. rei vend.

3.

Quæritur an in commissum incidant res quas quis sui vsus
causa

causa comparatas, & ob id à vectigalium onere liberè transportatas, mutato proposito vendiderit? Negativa placet.

Arg. tex. in l. si Gaudentius 6. vbi Salicet. C. de contrah. empt. & vendit. c. factum legitime, vbi Dyn. de R. l. in 6. l. In ambiguis 86. §. 1. vbi Dec. & Cagnol. n. 1. ff. de Reg. Iur.

4.

Quæritur an priuilegium studiosorum hospitibus vina vel frumenta, ad eorum victum aduehentibus concedatur? Affirmantem opinionem tuebimur.

Per l. 4. §. 1. ff. de publicanis, & l. in lege censoria 203. ff. de verb. sig. & auth. Habita, ibi, tam ipsi, quam eorum nunciij, C. Ne filius pro patre.

FINIS DISPUTATIONIS
TERTIÆ.

Ka 3071

(3/4)

ULB Halle

3

003 261 573



sb

Blind. 3/1.





Disputatio III.

DE PUBLICANIS, VECTI-
GALIBVS, ET COM-
MISSIS.

Q V A M;

A. C.

P R A S I D E

CLARISSIMO
CONSULTISSIMOQUE VIRO,
DOMINO HENRICO BOCERO, V. I. D. ET PRO-
*fessore in Illustri Tubingensium Academia, Praeceptore
suo honorando:*

ORDINARII EXERCITII GRATIA
hora, locoque solitis ad 26. Ianuarij
tuebitur

REINHARDVS A GEMMINGEN.



TUBINGA,
Apud Georgium Gruppenbachium,

ANNO M. D. XCVIII.

